

DCLVI.

URBIS ET ORBIS

Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis prae-positae, quae juxta institutionem a sa. me. Clemente PP. IX per-actam Constitutione quae incipit: *In ipsis Pontificatus primordiis*, sub die 6 Julii 1669, facultate instructa est omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum Reliquiis, aut Indulgentiis emergentem . . . expediendi; ac si qui abusus in eis irrepserint; illos . . . corrigendi, et emendandi . . . falsas, apocryphas indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi, et examinandi, ac ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate rejiciendi, pluries Indulgentiae typis impressae delatae sunt, quae licet falsae omnino, apocryphae et indiscretae, attamen huc illuc, sive hominum malitia, sive incuria, et absque ulla prorsus auctoritate typis mandantur et circumferuntur. Unde illud haud parum detrimenti provenit, quod et in errorem inducantur Christifideles, et apud S. M. Ecclesiae hostes Indulgentiae ipsae irrisionibus pateant.

Quapropter Sac. Congregatio, in generalibus Comitiis in Palatio Apostolico Vaticano die 31 Martii proxime elapsi habitis, plures hujusmodi Indulgentias typis excusas tamquam apocryphas, nullas et indiscretas habendas esse declaravit, et locorum Ordinariis, per quorum Dioeceses Indulgentiae ejusmodi circumferuntur, commendandum censuit, ut Sac. Congregationis Decreta in hanc rem edita omni studio observari curent.

Quum vero incongruum prorsus sit omnia semper summaria, libellos, folia etc. persequi, quae indiscretas, falsas apocryphasque Indulgentias descriptas continent, et qualibet vice prodierint specialibus decretis eliminare, SS. D. N. Pius PP. IX, in Audientia diei 14 Aprilis 1856. praemissam Eminentissimorum Patrum sententiam auctoritate Sua Apostolica adprobando, cupiens insuper ut ad *inaestimabilem* Indulgentiarum thesaurum quod attinet, omnia pie, sancte et *incorrupte* fiant, mandavit ut hoc Decreto omnes per orbem Ordinarii hortentur, ut pro ea qua pol-

lent, et qua uti debent sollicitudine in Dominici gregis bonum usque procurandum, invigilent non modo uti ejusmodi Indulgentiae falsae et apocryphae, quantum fieri potest, minime circumferantur, easque e fidelium manibus removeant, verum etiam satagant, ut Decreta a Sac. Congregatione salubriter edita, ac praesertim super earumdem Indulgentiarum publicatione et impressione observentur, in primis vero Decretum sub die 19 Januarii 1756 latum, et a sa. me. Benedicto PP. XIV die 28 ejusdem mensis adprobatum, quod ita se habet « cum experientia »
» quotidie comperiat, complures Indulgentiarum concessiones »
» generales expediri inscia ipsa Sacra Congregatione ex quo »
» multi promanant abusus, ac confusiones, re mature perpensa, »
» praesenti Decreto declaravit, impetrantes posthac hujusmodi »
» generales concessiones, teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretariam ejusdem Sac. Congregationis deferri ».

Caeterum ad falsas apocryphasque Indulg. a veris et genuinis haud difficili negotio internoscendas, ea etiam recolere locorum Ordinarios juverit, quae sapienter, de more, et hac in re idem fel. me. Pontifex Benedictus XIV in opere de Synodo Dioecessana edocuit. Et si praeterea aliquibus in rerum adjunctis super Indulgentiarum quarumcumque authenticitate ac genuinitate dubii haerent, ad Sac. Congregationem recurrant, ut inde opportunam dubiorum resolutionem assequantur.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 14 Aprilis 1856.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCLVII.

MEXICANA

Cum ad Sacram Indulgentiarum, Sacrarumque Reliquiarum Congregationem delatum sit, Altare vulgo *del Perdon* in Ecclesia Cathedrali Mexicana pene innumeris ditatum esse Indulgentiis ac privilegiis, eadem Sac. Congregatio in generalibus Comitiis

apud Vaticanas Aedes habitis die 31 Martii ineuntis anni singulas assertas concessionem examinavit, auditoque Consultoris voto, ad dubium « An gratiae, Indulgentiae et privilegia de quibus in casu genuina putanda sint, an apocrypha? » respondendum esse duxit « Negative ad primam partem, Affirmative ad secundum ». Facta itaque de his omnibus per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX fidei relatione, Sanctitas Sua Resolutionem Sac. Congregationis approbando, nec non quatenus opus sit quamcumque praecedentem concessionem abrogando, ne fidelium tepescat devotio, ac animabus in Purgatorio detentis deficiat solatium, benigne declaravit idem Altare Privilegiatum pro Missis, quae in eodem a quocumque Sacerdote sive saeculari, sive regulari in suffragium fidelium defunctorum celebrantur. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Voluit insuper Eadem Sanctitas Sua, ut ad praefatum Altare veteri amota Indulgentiarum ac Privilegiorum Tabella, altera hujus Pontificiae novae elargitionis affigatur.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis Indulgentiarum die 14 Aprilis 1856.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCLVIII.

MEXICANA.

Cum in Sac. Congregatione Indulgentiarum Sacrarumque Reliquiarum in Palatio Vaticano habita die 31 Martii 1856 singulae Indulgentiae ac Privilegia quibus Altare vulgo *del Perdon* in Ecclesia Cathedrali Mexicana asserebatur ditatum, apocrypha et falsa sint declarata, quaeque ab Apostolica Sede anno 1833 etiam majori Altari Ecclesiae Monialium S. Bernardi ejusdem civitatis fuerant communicata, hinc Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. Cui de omnibus per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium facta fuerat fidelis relatio, non modo resolutionem ejusdem Sac. Congregationis approbavit, verum etiam

quatenus opus sit, praefatam communicationem abrogando, benigne declaravit Privilegiatum quotidianum praememoratum Altare majus Ecclesiae Monialium S. Bernardi pro Missis, quae in eodem a quocumque Sacerdote sive saeculari, sive regulari in suffragium fidelium defunctorum celebrantur, ea tamen conditione, ut ab ipso Altari, veteri amota, si qua sit, nova affigatur tabella hujus Pontificiae elargitionis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis Indulgentiarum die 14 Aprilis 1856.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCLIX.

TARANTASIEN.

Quamvis nonnulla dubia in Sacra Indulgentiarum Congregatione die 5 Martii 1855 apud Vaticanum habita proposita fuissent, in relatione tamen Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX ab infrascripto Cardinali Praefecto die 26 Julii ejusdem anni peracta, Sanctitas Sua praecipuum esse duxit, ut in alia Congregatione iterum proponerentur, addito quoque alterius Consultoris voto. Ipsa vero dubia perspicuitatis gratia in meliorem formam redacta fuerunt uti sequuntur.

1.º *An Sodales Tertiarii Ordinis S. Francisci Assissinatis cujuscumque Provinciae sint, lucrifaciant Stationes, Indulgentias, remissiones tum Urbis, quam etiam Portiunculae, sive Jerusalem, et S. Jacobi in Compostella recitando sex Pater, Ave et Gloria, scilicet quinque pro felici statu S. Matris Ecclesiae, sextum autem pro intentione Summi Pontificis concedentis?*

2.º *An Sodales Scapularis Caerulei Immaculatae Conceptionis recitando sex Pater, Ave et Gloria in honorem Sanctissimae Trinitatis, et Deiparae Virginis Immaculatae, orando pro haeresum extirpatione, Exaltationis S. Matris Ecclesiae, atque Christianorum Principum pace et concordia omnes lucrifaciant In-*

dulgentias Septem Basilicarum Romae, Portiunculae, Jerusalem, et S. Jacobi de Compostella?

3.^o *An Indulgentias, de quibus in superioribus dubiis lucrantur toties quoties, et an in quocumque loco preces ipsas fuderint?*

4.^o *An ad easdem lucrandas Indulgentias recitare sufficiat sex tantum Pater, Ave et Gloria, ita ut necesse minime sit alias preces addere, quomodo in Indulgentiarum concessionibus atque rescriptis orandi per aliquod temporis spatium juxta intentionem Pontificis, seu pro haeresum extirpatione, Exaltatione S. Matris Ecclesiae, atque Christianorum Principum pace et concordia etc. injungi consuetum est?*

5.^o *An ad memoratas Indulgentias, de quibus scilicet in dubiis I. et II. consequendas, necessaria sit Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptio?*

6.^o *An denique haec ipsae Indulgentiae omnes animabus in Purgatorio detentis applicari possint?*

Itaque Eminentissimi Patres in Comitibus Generalibus apud Vaticanas Aedes habitis die 21 Martii currentis anni, rebus mature perpensis, altero quoque voto audito, respondendum esse duxerunt, ut infra.

Ad primum « Affirmative » Ad secundum « Affirmative » Ad tertium « Affirmative juxta votum Consultoris, nempe servato Decreto Sac. Congregationis die 7 Martii 1678 approbato ab Innocentio XI cujus initium » Delatae Saepius. Ad quartum « Affirmative » Ad quintum « Negative » Ad sextum « Affirmative ». Facta denique de his omnibus per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium Eidem Sanctissimo fideli relatione in Audientia diei 14 Aprilis ejusdem anni, Sanctitas Sua resolutiones praefatae Sac. Congregationis benigne approbavit.

Datum Romae ex Secretaria ipsius Sac. Congregationis Indulgentiarum die 14 Aprilis 1856.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCLX.

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI

Cum ex parte Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci in Gallia huic Sac. Indulgentiarum Congregationi remissae fuissent nonnullae preces, tria formulata sunt dubia.

1.^o *An, scilicet, Tertiarii Saeculares, seu in propria domo viventes gaudeant omnibus Indulgentiis, peccatorum remissionibus etc. quibus potiuntur Fratres Ordinis Minor. S. P. Francisci vigore Communicationis?*

Et quatenus Affirmative.

2.^o *An sub hac generali communicatione veniat quoque privilegium Indulgentiae Portiunculae de secunda die Augusti cujusque anni, alia vulgo il Perdono d' Assisi?*

Et in casu etiam Affirmative.

3.^o *An praefata gaudeant earundem etiam Ecclesiae Oratoria, Cappellae in Ecclesiis licet Parochialibus existentes, seu intra eas compraehensae pro omnibus Christifidelibus?*

Sacra itaque Congregatio in Palatio Apostolico Vaticano die 31 Martii currentis anni habita, audito Consultoris voto rescribendum esse censuit « Ad primum » Affirmative ad formam Brevis Sanctissimi Domini Nostri Pii PP. IX sub die 11 Martii 1831 quod incipit « Cum sicut nobis nuper ». Ad secundum « Juxta votum Consultoris » Ad tertium « Negative juxta votum Consultoris ». In Audientia vero Sanctissimi die 14 Aprilis anni 1856 per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium Eidem Sanctissimo relatione peracta, Sanctitas Sua praefatis resolutionibus censuit annuere, ad primum, scilicet, Affirmative juxta praememoratum Breve ». Ad secundum « Juxta votum Consultoris, scilicet, Affirmative » Ad tertium « Negative juxta Consultoris votum ».

Datum Romae ex Secretaria ipsius Sac. Congregationis Indulgentiarum die 14 Aprilis 1856.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCLXI.

ORDINIS MINOR. OBSER. S. FRANCISCI DECLARATIO

Ad preces humillimas Reverendissimi Patris Venantii a Celano totius Ordinis Min. Observ. S. Francisci Ministri Generalis Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX clementer inclinatus, audito prius voto Sacrae Eminentissimorum Patrum Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, quae apud Vaticanas Aedes die 31 Martii ineuntis anni est habita, benigne declaravit, omnes et singulas Indulgentias, privilegia, communicationes etc. Tertiariis S. Francisci a glorioso Praedecessore suo Benedicto XIII concessas tam vigore Constitutionis « *Paterna Sedis* » diei 10 Decembris 1725, quam alterius « *Singularis Devotio* » diei 5 Julii 1726, atque ab ipsa Sanctitate Sua tum Tertiariis Franciscalibus Galliarum per Literas Apostolicas in forma Brevis « *Supremi Apostolatus* » diei 7 Julii 1848 confirmatas, tum per alias literas « *Cum sicut nobis nuper* » diei 11 Martii 1851 ad preces Reverendissimi Patris Ministri Generalis Ord. Minor. Conventualium S. Francisci iterum concessas, extendi ad omnes et singulos S. Francisci Tertiarios sub quacumque directione existentes, sive Ordinis Minor. Observantium, sive Ordinis Minorum Conventualium, sive Ordinis Cappuccinorum, sive denique sub directione cujuscumque Sacerdotis tam saecularis quam regularis legitima tamen facultate pollentis tam erigendi quam moderandi Tertiariorum S. Francisci Sodalitates, seu Congregationes, ita ut unusquisque Tertiarius, qui cuilibet ex praefatis directionibus subsit, dummodo injuncta opera adimpleat, omnibus et singulis Indulgentiis, privilegiis, communicationibus, ut supra, elargitis ac confirmatis, gaudere possit et valeat. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus Constitutione Benedicti XIV anni 1751 quae incipit « *Ad Romanum Pontificem* » et aliis in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis Indulgentiarum die 14 Aprilis 1856.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCLXII.

DITIONIS HELVETICAE

SEU

URBIS ET ORBIS

In Congregatione Generali Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita ad Aedes Apostolicas Vaticanas habita die 31 proxime elapsi Martii, ad preces Patris Laurentii Hecht Monachi Benedictini in Ditione Helvetica quaerentis num authenticae revera sint Indulgentiae quaedam, quas in schedula gallice conscripta exhibuerat, quasque adnexas Crucifixi sculptae imagini benedictae asserebat, et quae italice traductae sonant ut sequitur.

Indulgenze accordate dal N. S. PP. Pio VII.

Per una facoltà speciale ottenuta da N. S. PP. Pio VII il 1 Giugno 1804, e confermata con Rescritto ottenuto in Udienza li 16 Novembre 1805, in appresso confermato da N. S. PP. Pio IX li 15 Novembre 1852, sono concesse a questo Crocefisso le seguenti Indulgenze.

1.^o *Una Plenaria in Articulo mortis per chiunque bacierà il detto Crocefisso, o lo avrà sul suo letto.*

2.^o *Cento giorni d' Indulgenza per chiunque reciterà avanti a questo tre Pater Ave, e Gloria secondo l'intenzione del Sommo Pontefice, e ciò per quante volte si reciteranno.*

3.^o *Cent' altri giorni d' Indulgenza per chiunque lo bacierà divotamente, ed invocherà almeno col cuore l'ajuto di Dio, e ciò per ogni volta che lo bacierà.*

4.^o *Indulgenza Plenaria due volte in ciascun mese ad arbitrio di ciascuno, accostandosi alla S. Comunione.*

5.^o *Indulgenza di sette anni e sette quarantene per chiunque riceverà la benedizione col detto Crocefisso dopo la predicazione.*

6.^o *Le dette Indulgenze sono annesse immediatamente al Crocefisso e non alla Croce: per cui non si perdono quando si affigge il Crocefisso ad altra Croce.*

7.º Tutte sono a vita durante del proprietario del Crocefisso.

8.º Esse Indulgenze passano successivamente a quelle persone alle quali il proprietario lascia il Crocefisso in dono, in legato o in prestito.

Il proprietario del Crocefisso (non già quegli cui sia prestato) potrà inoltre, se si trova legittimamente impedito, guadagnare le Indulgenze delle Stazioni dicendo sette Pater e sette Ave, e le Indulgenze della Via Crucis dicendo quattordici Pater ed Ave.

Eminentissimi Patres Consultoris voto audito, rescripserunt « Indulgentias de quibus supra, non esse attendendas utpote apocryphas », quam Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sententiam Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX in Audientia diei 14 Aprilis omnino approbavit.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 14 Aprilis 1856.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCLXIII.

TARANTASIEN.

Huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi in Apostolico Vaticano Palatio habita die 31 Martii 1856 propositis dubiis a Presbytero Missionario Anselmo Collombe Tarantasiensis Dioecesis, scilicet.

1.º Monsignor Bonvier nel Trattato dell' Indulgenze dice, che tutti quelli, che assistono alle Processioni del Santissimo Rosario, che si fanno nelle prime Domeniche di ciascun mese lucrano l' Indulgenza di sette anni e sette quarantene per ciascuna volta. Ora di questa Indulgenza non ne fa menzione l' opuscolo intitolato « Il Rosario di Maria Santissima » Roma, pag. 159 quindi si dimanda 1.º se questa Indulgenza è autentica; 2.º se è accordata in favore di tutti i fedeli, che assistono alle dette Processioni, o solamente ai Confratelli del Santissimo Rosario?

2.º Nel suddetto Opuscolo « Il Rosario di Maria Santissima, si legge pag. 173 » che l' Altare del Rosario è privilegiato per tutti i Sacerdoti ascritti a questa Confraternita senza aggiungere altro. Ma altri autori aggiungono che l' Indulgenza dell' Altare Privilegiato non può applicarsi che solamente ai Confratelli defonti. Ora si domanda, se questa Indulgenza può applicarsi ai Confratelli defonti del Rosario, ovvero a tutta sorta di fedeli?

3.º L' Indulgenza di cinque anni e di cinque quarantene accordata ai Confratelli del Rosario, che pronunciano il Santissimo Nome di Gesù alla fine di ciascuna Ave Maria è questa accordata per ciascuna volta, in cui si pronuncierebbe, e come?

Eminentissimi Patres, voto unius ex Consultoribus audito, respondendum esse duxerunt « Ad primum » Affirmative etiam pro non Confratribus « Ad secundum » In voto Consultoris « Ad tertium » Juxta votum Consultoris ». Facta itaque per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium opportuna de praemissis relatione Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX in Audientia diei 14 currentis Aprilis, Sanctitas Sua praefatam responsionem quoad primum dubium approbans, tum Altaris Privilegiati Sanctissimi Rosarii nempe gratiam pro omnibus Christifidelibus favore Confratrum Sacerdotum, de quo in secundo dubio, tum nempe Indulgentias de quibus agitur pro qualibet vice Sanctissimum Nomen Jesu in fine cujuslibet Angelicae Salutationis in recitatione Rosarii a Confratribus invocatum fuerit lucrari, de quo in tertio dubio, in perpetuum intelligendum esse benigne declaravit, atque auctoritate sua Apostolica concessit. Praesenti vilituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congreg. Indulg.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.